



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sulpici[i] Severi Presbyteri Opera Omnia**

**Sulpicius <Severus>**

**Amstelodami, 1665**

Iudas Maccab. Princeps Iudæor.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11490**

dæos facrificare cogebat, <sup>1</sup> inauditisque cruciatibus reluctantes afficiebat. Qua tempestate illustris illa passio <sup>2</sup> septem fratrum, <sup>3</sup> matrisque fuit: qui omnes, cum legem Dei, & instituta majorum, violare suppliciiis cogentur, mori maluerunt. Ad extremum, pœnas mortesque eorum <sup>7</sup> comitata mater est.

XXXI. Interea Mathathias moritur: vicarium exercitui, <sup>1</sup> quem paraverat ducem, <sup>4</sup> Judam filium substituit. Hujus <sup>2</sup> ductu,

<sup>1</sup> *Inauditisque cruciatibus.*] Ac tandem etiam occidebat. Sint pro exemplo dux mulieres, quæ infantes suos circumciderant, quas suspensis de mammis infantibus, publice per urbem circumductas inaudito exemplo, de muro precipitarunt. Historia refertur II Machab. cap. VI. §. 10.

<sup>2</sup> *Septem fratrum.*] Horum historiam Josephus peculiari libello complexus est, cui titulus, *Ἐπι τῶν ἀποστόλων λόγους*, quod animus sit qui in nobis imperium habet. Vocatur etiam τὸ μαχητικόν, teste Eusebio Eccles. hist. lib. 3. cap. 10. Nam hi fratres peculiariter Machabæi nuncupantur, ut & omnes alii, qui ea tempestate propter ritus patrios, savitiam Antiochi & ducum ejus experti sunt. *Drus.*

<sup>3</sup> *Matrisque.*] Hannam vocat compositor historiæ Ebraicæ, quæ post filios ultima interiit: quam historiam invenies & II Machab. 7. 1. usque ad finem capituli.

<sup>4</sup> *Judam filium.*] Qui Machabæus cognominabatur. Quod epitheton Christiani commune fecerunt cum Juda reliquis Hasmonæis: sed quam recte, viderint. Nam Ebræi soli Judæ id tribuunt. *Drus.* Ben Gorion, Historiarum Judaicarum libro 3. cap. 9. asserit, Judam Mathathææ filium cognomen Machabæi invenisse, על גבירתו, id est, propter fortitudinem suam. Quod quidem Munstero nimis durum videtur atque difficile, & tantum non indissolubilis nodus: ut ex Annotationibus ipsius in eundem locum liquet. *Unde* (inquit)

vox ipsi (Machabæus) derivetur non constat. Neque enim in Hebraismo, neque in Chaldaismo מַכַּב, aut מַכְכּ, aut מַכְכֵּי, invenitur significare fortitudinem. Atqui illud solum viro, alioqui peritissimo, imposuit, quod putavit vocabulum (Machabæus) ab uno eodemque simplici Themate deducendum. Quum tamen Hebraica nominis istius prolatio (sicuti legitur in contextu Hebræo Historiæ ab eodem Munstero editæ) originis compositæ id esse declaret. Nam מַכְכֵּי, quis non videt facillime resolvi posse, in duas hæc dictiones, quarum prior est מַכָּה, id est, *plaga*, altera כִּי, id est, *per me*. Quasi dicat, *Plaga à me instigetur à Deo*, Judæis nempe apostatis, & Gentilibus fidelium persecutoribus. Hanc vero fatidicam nominis interpretationem, multiplex eventus, quem Historia passim commemorat, re comprobavit. Atque huc haud dubie respexisse putandus est Ben Gorion, ubi Judam ex fortitudine nomen adeptum esse ait. *Fullerus.* Alii, Judam in vexillis usum literis מַכְכֵּי, quæ per Rasche Theboth significarint מִי כְמוֹן בְּאֵלֵי יְהוָה, quis tibi similis inter Deos Jehova. Exod. 15. 2. *Inius.* Sed vide Fuller. 11. Miscell. 1111. ubi est de Origine nominis Hasmonæorum. Utrum vero classis loaribi, è qua Hasmonæi, fuerit ex Eleazaridis an Ithamaridis, non satis liquet. Argumento tamen est Hasmonæos ex Eleazaridarum stirpe fuisse, tum quod adeo pronus eis Pontificatum deferebat populus, tum quod in oratione à Matathia ad filios habita legitur,

ductu, adversus regios, frequentibus praeliis, prospere pugnatum. Nam primum<sup>1</sup> Apollonium, ducem hostium, qui magnis copiis in conflictum descenderat, cum omni<sup>2</sup> exercitu delevit. Quod cum Seron quidam, qui tum<sup>3</sup> Syriae praerat, comperisset, multiplicatis<sup>4</sup> legionibus Judam aggressus, ferox, quia numero praestabat, ubi in certamen descensum, fusus ac fugatus, octingentis ferme amissis,<sup>5</sup> in Syriam regressus est. Id ubi compertum est Antiocho, ira & dolore succensus (quippeangebatur, duces suos, cum magnis exercitibus, devictos) auxilium per omne regnum contrahit, donativum militibus,<sup>6</sup> exhaustis penitus thesauris, largitur. Etenim tum praecipue graviter pecuniae<sup>7</sup> inopia affectus erat. Nam deficientibus ab eo Judaeis, qui ei ultra trecenta argenti talenta annua pensitaverant, praeterea Graecis urbibus, multisque regionibus, persecutionis malo turbatis, ne gentilibus quidem pepercerat: quos de-

ferere

*Phinees pater noster, zelando zelum, accepit fidus Sacerdotii aeterni. Nam Eleazaridum domus, etiam Phineesi dici solebat. Vide librum Haimonaeorum c. 11. v. 54. Quin & primae Sacerdotum classis, quae Ioaribi erat, singularem dignitatem agnitam esse, comperimus apud Iosephum, qui sub initium vitae suae genus suum jactans, ἐμοὶ δὲ, inquit, εἰ μόνον ἐξ ἱερέων ἐστὶ τὸ γένος, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ ἀρχιερέως ἐφημερίδῳ τῷ κελ. πολλὴ δὲ καὶ τῶν Ἀγαθοῦ.*  
Seldenus.

<sup>1</sup> Apollonium.] Κοίτης Συρίας καὶ Φοινίκης στρατηγὸν Ιασὸ Κυρηνάου: praefectum Samariae. Iosephus: τῷ Συρίας καὶ Φοινίκης στρατηγὸν. Idem in Maccabaico. Huic Iudas ensen ademit, quo semper in bello usus est. Drus.

<sup>2</sup> Syriae praerat.] Ὁ ἄρχων τῷ δουλεύουτος Συρίας, dux exercitus Syriae. I Machab III. 13. Caele-Syriae praefectus. Iosephus 12. 10. Dux exercitus Macedonici. Compesitor historiae Ebraicae. Haec fuit secunda expeditio Iudae. Drus. Et ab hoc missus Heliodorus, ut tem-

plum spoliaret. I I Macc. III. 1. Vide Capellum ad A. M. 3816.

<sup>3</sup> Legionibus.] Hoc vocabulum mutuo sumpsit à militia Romana. Siquidem nullae erant legiones in exercitu Syro-Macedonum. Quid igitur? Phalanges erant, quas appellat legiones. Sic interpretes noster, quem vulgatum dicimus, legionem posuit pro phalange, I Mach. IX. v. 12. Nam in Graeco ἡ Φαλαγγὶς. Drus.

<sup>4</sup> Octingentis ferme amissis.] Εἰς ἀπόρα ὀκτακοσίαι, I Machab. III. 24. ceteri fugerunt in terram Philistaeorum. Drus.

<sup>5</sup> Exhaustis penitus thesauris.] Conditae deficiente pecunia, I Machab. III. 39. Vide quoque I Machab. I. 43. & Iosephum Ant. hist. libro 12. cap. 11.

<sup>6</sup> Trecenta argenti talenta.] Supra, Quae tempestate Iudaei, annum stipendium, trecenta argenti talenta, regi dabant.

<sup>7</sup> Ne gentilibus quidem.] Haec ipsa adeo obscura erant, ut non intelligerentur. nunc reposita parenthesi, quae sensum omnem verborum non expressa turbabat,

ferere <sup>1</sup> inveteratas superstitiones, & ad unum ritum deducere tentaverat: illis quidem, ubi nihil sancti erat, facile relinquentibus: sed tamen omnibus metu ac clade affectis, vectigalia cessaverant. Quibus rebus æstuans (etenim, ipse <sup>8</sup> olim <sup>2</sup> omnibus regibus opulentior, suomet scelere inopiam persenserat) <sup>3</sup> copias cum Lysia partitur, <sup>4</sup> eique Syriam & bellum adversus Judæos committit, <sup>5</sup> ipse in Persas ad cogenda vectigalia profectus. Igitur Lysias duces belli delegit, Ptolemæum, Gorgiam, <sup>6</sup> Doronem, & Nicanorem: his XL. millia peditum, septem equitum data. Ac primo <sup>10</sup> impetu,

bat, plane elucescunt. Gravi tum, *inquit*, rex pecuniæ inopia laborabat. Nam vectigalia cessaverant Judæis ab eo deficientibus, qui ei ultra trecenta argenti talenta pensitaverant, & Græcis persecutionis malo turbatis. Judæis quidem facile eum relinquentibus, apud quem nihil sancti erat; gentilibus vero omnibus metu, ac clade affectis. nam Antiochus rex ne gentilibus quidem pepercit, cum cogeret eos, veteribus relictis superstitionibus, ad unum ritum adducere. Expressit autem, aut potius adumbravit illa, quæ etiam propter orationis angustias apud Maccabæorum historiam sunt obscura. *Et tributa regionis modica propter diffisionem, & plagam, quam fecit in terra, ut tolleret, & timuit, ne non haberet ut semel, & bis in sumptus, & donaria, quæ dederat ante larga manu.* Sigonius. Hæc includenda parenthesi usquead, *illis quidem*, ut recte monuit Sigonius. Quare autem Christiani veteres maluerint dicere gentiles quam gentes, & ethnicos quam *ἔθνη*, viderint quorum ea interest scire. Ego scio gentes dici antiquissimis Ebræis, quos posterior ætas *ἔθνη*, id est, Græcos appellavit: Christiani etiam paganos vocarunt. *Drus.*

<sup>1</sup> *Inveteratas superstitiones.*] Supra, *Cum discordantem superstitionibus susceptis populum reperisset.* Innuit autem religiones gentilium, quas superstitiones appellat, quia religio proprie veri Dei

est. Qui religiosus est Deum veretur, qui superstitiosus, timer. Quod tamen discrimen interpretes Bibliorum non observant. *Drus.*

<sup>2</sup> *Omnibus regibus opulentior.*] *Ἐπελάσασεν ὑπὲρ τὰς βασιλείας τὰς ἑμῶν.* 1. Machab. 111. 30. Quæ verba sic interpretatur Sebastianus Castalio, *reges omnes superiores largitione superaverat.* Sed aliter interpres vulgatus. *Idem.*

<sup>3</sup> *Copias cum Lysia partitur.*] Homine nobili & regio genere orto. 1. Machab. 111. 32. Ex historia Ebraica colligimus fuisse filium fratris Antiochi. Nam compositor illius historię Gotionides appellat eum filium patris sive patruelem Eupatoris. Erant ergo Lysias & Eupator duorum fratrum filii, hoc est, *ἀδελφίδες*. Quod Appianus scribit de Demetrio & Eupatore. *Drus.*

<sup>4</sup> *Eique Syriam.*] Constituit eum super negocia regia à flumine Euphrate usque ad flumen Ægypti: tum etiam filium nutriendum ei reliquit. *Drus.*

<sup>5</sup> *Ipsè in Persas profectus.*] Anno Græcorum centesimo quadragesimo septimo.

<sup>6</sup> *Doronem.*] Delendum videtur, nisi Sulpitius edidit, *Ptolemæum Dorymenis, Gorgiam & Nicanorem.* Quæ conjectura Sigonii, robur accipit à Josepho, Antiquitat. libro 111. capite 11. sed magis ex 1. Macch. cap. 111. 36. *Drus.*

11 impetu, magnum Judæis terrorem intulerunt. Tum Judas cunctis desperantibus, suos adhortatus, *forti animo descenderent in prælium: Deo fretis nihil invictum fore.* Sæpe antea à 12 paucioribus, adversum plures, bene pugnatum. Jejunio indicto, celebratoque sacrificio, in aciem descensum, *fusæ hostium copiarum:* Judas castris potitus, multumque ibi 13 auri & *Tyriarum opum* repertum. *Namque ex Syria negotiatores nihil de victoria dubitantes, regium exercitum sequuti, spe captivos mercandi, prædæ fuere.*

XXXII. Hæc ubi Lysia *ex nunciis* comperta, majore cura copias parat: annoque post, *immani exercitu*, Judæos aggreditur: victus, denuo *Antiochiam* se recepit. 2 Judas, pulsus hostibus, *Hierosolymam* regressus, purgare templum, & restituere, animum intendit: quod *eversum ab Antiocho, profanatumque à gentibus, foedam sui speciem*

1 *Fusæ hostium copia.*] Occisa sunt ad tria millia. Hæc in Maspha acciderunt. Vide I. Machabæorum, cap. IV. §I. 23. Joseph.

2 *Tyriarum opum.*] Purpuræ marina. Drusus. Tyrus prisca orbis unicum fere emporium fuit, de cujus divitiis & classibus, incredibilia fere sunt, quæ antiqui tradunt. Sed nemo exactius propheta Ezechiele, cap. xxviii. Ex quo patet, cur Tyriæ opes in proverbium abierint. Horn.

3 *Namque ex Syria.*] I. Maec. III. Joseph. XII. II.

4 *Ex nunciis.*] Qui evaserant.

5 *Immani exercitu.*] In quo erant LX. millia peditum, & V. M. equitum. Hæc est quarta expeditio Judæ. Horn.

6 *Antiochiam.*] Η' ἡ Ἀντιόχεια ἡ αὐτὴ τεργόπολις. ἐν τετάρτῳ συνεστῶσσι μεράν. τείχεσσι δὲ καὶ κρηναί τείχῃ καὶ ἰδίῳ κρηνῇ ἐκείσιν τὸ κλισμαὶ τὸ μὲν ἐν πρώτῳ αὐτῶν ὁ Νικηταρ συνώκισε, μετὰ γὰρ ἐκ τῆς Ἀντιόχειας πρὸς οἰκητορας, ἡνὲν πωλοσίον ἐτείχεσεν Ἀντιόχῳ ὁ Φιλίππος μικρῶν παρὰ τε-

ργῶν τὸ ἰδούτερον. Ἐπὶ πλάθας τῶν οἰκητόρων ἐστὶ κλισμαί. τὸ δὲ τρίτον Σελεύκου καὶ Καλλινίκου τὸ δὲ τέταρτον Ἀντιόχου καὶ Ἐπιφανῆ. Καὶ δὲ καὶ μετὰ πόλις ἐστὶν αὐτῆς τῆς Συρίας, καὶ τὸ βασίλειον ἐν αὐτῇ ἵδρυται ἑὶς ἀρχὴν τῆς χρονης ἔσθ' πολὺν χρόνον καὶ δωάμῃ καὶ μετὰ Σελεύκειας τῆς ἐπὶ τῷ Τίμω καὶ Ἀλεξανδρείας τῆς παρὰ Αἰγύπτου. Συνώκισε δὲ ὁ Νικηταρ ἐν αὐτῇ καὶ τὰς ἀπὸ γῆς Τερπύλεως, καὶ ἄλλων μικρῶν παρὰ ἐν ἐμνήσθησιν διὰ τῆς Ἀντιόχειας αἰς ἡρώα ἡμῶσι, καὶ ἀγῶν ἐορτῶν ἐν τῷ Κασίῳ ὄρει τῷ παρὰ Σελεύκειον. Strabo XVI.

7 *Hierosolymam regressus.*] Joseph. XII. II. I. Maec. 4. Anno regni Syriæ sive Graecorum cXLVIII.

8 *Eversum ab Antiocho.*] Triennio ante. Eversum autem templum dicit propter abolitam ibi deletamque religionem. Eam Judas restituere animum intendit, purgareque templum, quod profanatum fuerat superstitione gentilium. Hoc prædictum à Daniele volunt. Dan. VIII. 14. & XII. 12. Draf.

speciem præbebat. Sed Syris arcem tenentibus, <sup>1</sup> quæ con-  
 tinua templo, <sup>2</sup> & loci natura superior, atque inexpugna-  
 bilis erat, adiri subjecta non poterant, crebris eruptionibus  
 prohibentibus. Adversum hos Judas, validissimam suorum <sup>4</sup>  
 aciem objecit. Ita <sup>3</sup> opus sacræ ædis curatum, templum-  
 que muro circumdatum, constitutique, <sup>4</sup> qui perpetuum  
 præsidium, armati agitent. At <sup>5</sup> Lysias, multiplicato <sup>6</sup>  
 exercitu, in Judæam regressus, rursus vincitur, magna  
 clade exercitus & auxiliorum, quæ ei à civitatibus missa, in  
 bellum conspiraverant.

XXXIII. In-

1 *Quæ continua templo.* ] Quæ templo  
 superfabat. Joseph. xii. 14. Sed vide  
 num potius legendum sit, *quæ contigua*  
*templo.* Arcem autem dicit quam supe-  
 rius acram & acropolim vocari dixi-  
 mus. Unde in libro jejunii filii *Acræ*  
 vocantur, qui illic in præsidio sedebant.  
*Drus.*

2 *Et loci natura superior.* ] Non ergo in  
 urbe inferiore sita erat, sed in superiore,  
 hoc est, in civitate David. Nam tem-  
 plum subjectum habebat, quod in clivo  
 montis Sion, *Moria dicto.* *Idem.*

3 *Opus sacræ ædis curatum.* ] Atque en-  
 cenia celebrata. Josephus lib. xii. 11.  
 Πέμψη δὲ καὶ εἰρηδὶ τῆς Χερσαίης μη-  
 ρός, ὄνοι Μακεδόνες Ἀπελλοῖον καλεῖ-  
 σι, ἠΨαν τι φῶται ἐπὶ τῆς λυχνίας, καὶ  
 ἐθυμιασαν ἐπὶ τῆς βωμῆς, καὶ ἄρτους πλῆ-  
 τερὰς ἐπιθήκων, καὶ ἄλοκαύτων  
 ἐπὶ τῆς καινῆς ἱουδαίου. ἔτυχε δὲ τῶ-  
 νται καὶ πλῆν ἡμέραν ἐκείνου γίνεσθαι,  
 καὶ ὡς καὶ μετέπειτα αὐτῶν ἡ ἀγία  
 ἱερουσαλὴμ εἰς βέβηλον καὶ κοινὴν σιμὴν  
 θῆσαν ἐπὶ τῆς τῆς. τῆς γὰρ ναὸν ἐρημα-  
 θῆναι ὑπὸ Ἀντίοχου Ἀμφικλεῖος ἱερέως  
 ἔπειτα σιωπῆς τῆς σιμῆς ἐπὶ τῆς πέμψης καὶ  
 πτωχευμένων, καὶ ἐκείθεν τῶνται ὡς  
 τῆς ναὸν ἐρήσειν, πέμψη καὶ εἰρηδὶ τῆς  
 Ἀπελλοῖον μελῶς, ἡ καὶ ἀρ(α)ίς ἐ-  
 ῖρησει ἡ καὶ ῥ' καὶ ῥ' ἐπὶ τῆς. Ὀλυμπιάδου  
 ῥ' καὶ ῥ' ἐπὶ τῆς. Annum primum verten-  
 tem Olympiadis centesimæ quinquage-  
 simæ quartæ, componit Josephus cum

anno Græcorum centesimo quadragesi-  
 mo octavo, unde colligere est Encenia  
 Judæ Maccabæi incidisse, ex Josephi  
 sententia, in annum affectum ter mille-  
 simum septingentesimum octogesimalum  
 sextum. *Petitus.*

4 *Qui perpetuum præsidium.* ] Ex præ-  
 fectis militaribus quidam fuere, qui  
 Græce *πρωτοὶ καὶ στρατηγὸι τῆς ἱερῆς*  
 dicti sunt, id est, præfides templi, &  
 præfecti exercitus templi. Hi vero præ-  
 sidio templi præfuerunt, quod olim Ju-  
 das Maccabæus imposuit, itemque tur-  
 ris Antonia, quam cum templo jun-  
 ctam illius posterii condiderunt. Habiisse  
 autem Judæos ejusmodi custodia cau-  
 sa milites, indicat S. Matthæus xxvii.  
 Cum enim petissent Judæi à Pilato, ut  
 juberet cudodiri sepulchrum Christi us-  
 que in tertium diem; respondit Pilatus;  
*Habetis custodiam, ite, custodite. sicut scī-  
 tis.* Huic vero præsidio præerat tribunus  
 militum unus, aut fortasse etiam plures  
 cum cohortibus suis, ut mox apparebit.  
*Sigon.*

5 *Lysias multiplicato exercitu.* ] Quinta  
 expeditio, de qua nihil mihi adhuc le-  
 ctum, nec apud Josephum, nec apud  
 alios. Quarendum ergo unde habeat?  
 Sigonius ad hunc locum annotat: *Lysias,*  
*postquam semel victus recessit Antiochiam,*  
*elegit quidem milites, ut multiplicatis eis*  
*rursus veniret in Judæam: verum venisse*  
*non dicitur, neque ab auctore libri Macha-*  
*bæorum, neque à Josepho, sed multa prælia*  
*secunda*



1 XXXIII. Interea Antiochus, quem in Persidem profectum supra memoravimus, <sup>1</sup> oppidum Elymum, regionis illius opulentissimum, <sup>2</sup> fanumque ibi situm, multo auro refertum, diripere conatus, confluyente undique ad defensionem loci multitudine, fugatus: insuper nuncium accepit, <sup>2</sup> res <sup>3</sup> vel à Lyfia, vel à Lyfimacho, improspere gestas. Ita ex <sup>3</sup> mœrore animi, corporis morbo incubuit. Sed cum internis doloribus angeretur, reminiscens malorum, quibus populum Dei vexaverat, merito sibi illa accidisse confitebatur. <sup>4</sup> Deinde <sup>4</sup> post paucos dies moritur, cum regnasset annos <sup>5</sup> undecim. *Antiocho* filio regnum reliquit, <sup>5</sup> cui *Eupator* nomen fuit.

## XXXIV. Ea

*secunda cum finitimis gentibus fecisse, quæ deinceps quinto capite explicantur.*

1 *Oppidum Elymum.*] Elymaidem, 1. Machab. vi. 1. Elymada. Josephus xi. 1. 23. Persepolim, 1. Machab. ix. 2. Cæterum Elymus esse videtur, quæ in libris Canonicis Elam vocatur. *Idem.*

2 *Fanumque ibi situm.*] Fanum Veneris, *Appianus.* Dianæ, *Joseph.* xi. 13. Verba Appiani sunt, τὸ τῆς Ἐλυμίας Ἀφροδίτης ἱερὸν ἐστὶν ἄλυσον, καὶ φθίνων ἐπελάττειται, παρὰ δὲ τὸν ἄλλο δὲ τὸν ἄλλο πᾶν Ἀντιόχου. Εὐπατόρα. Hieronym. commentario in Danielem ex Polybio & Diodoro refert, Antiochum, cum templum Dianæ in Elymaide spoliare conaretur, oppressum à custodibus templi & vicinis gentibus, quibusdam phantasis in amentiam versum, morbo interivisse in Tabes oppido Persidis. Justinus lib. 32. *Interea in Syria rex Antiochus, cum gravi tributo pacis à Romanis victus oneratusque esset, seu inopia pecuniæ compulsus, seu avaritia sollicitatus, qua sperabat se, sub specie tributariæ necessitatis, excusatus sacrilegia commissurum, adhibito exercitu, nocte templum Didymæi Fovis aggrederetur. Quæ re prodita, concursu incolarum, cum omni militia, interficitur. Quæ conciliabis, si hos loqui dixeris de Antiocho magno aut Sidete, & illos de Antiocho Epiphane: Magnus enim &*

Sidetes perierunt in Perside: Epiphanes fugatus, ex mœrore animi, corporis morbo incubuit. *Drus.*

3 *Vel à Lyfimacho.*] Qui iste Lyfimachus? An qui Menelao successit in pontificatu. Sigonius legit, *res à Lyfia improspere gestas.* Reliqua superare arbitrat à glossemate. *Idem.*

4 *Post paucos dies moritur.*] Tabes, relicto novenni filio Antiocho Eupatore. *Appian.* Syriac. Alia de morte ejus opinioniones paulo ante ex Hieronymo relatæ sunt. Quod locum spectat, dissentiant itidem authores. *Appianus in Elymaicis.* Hieronymus *in Tabes oppido Persidis.* Author 11. Macc. ix. 3. *in montibus Media & Persidis juxta Ecbatanam.* Hinc aliqui colligunt errorem ab eo commissum. Quod tamen ita excusari potest, si Tabes urbem eam dicamus quæ hodie Tabs Kileki appellatur, sita in Kilan, id est, Media, qua montibus Tauri jungitur.

5 *Cui Eupator nomen erat.*] Sic appellatus fuit à Syris, propter patris virtutem. *Appianus.* A Lyfia educatore 1 Mach. vi. 17. Eupator autem potius erat cognomen, quam nomen proprium. Aut mutatum ei fuit nomen in regno, more apud veteres tralatitio. Hunc juniorem Antiochum appellat Eusebius. *Drus.* Sic *Ὑπασις* vocatur generosa filia.